



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

De Venerando Zacharia Calceario. Et Ioanne.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

- randum senem repente simul viri fæminæque lapidibus obruerunt, cuius iam cadentis, & iam prope exanimati temporibus, sa-
2. crilega impurâq; 2 lamia, quæ totum hæreseos poculum exhauserat, saxum ingens, impegit, & quod reliquum erat vitæ, ademit. Ita ille decus martyrij est adeptus.

ANNOTATIONES.

2. **M**olanus in Martyrologio Ancyranum facit Episcopum, quod acta in Menæis infra 25. Februarij & 31. Martij, repetita non memorant, sed natione Cilicem fuisse, Archiepiscopum Gangrensem, in Galatia martyrium obiisse tradunt. Martyrologium Rom. etiam hoc die Hypatium celebrat Gangræ Episcopum, vti & Menologium Græcorum.
2. Hæc ad tumultum postea Gangræ curata est, Act. 25. Febr. vbi plura de hoc in Menæis.

DE VENERANDO ZACHARIA GALCEARIO. ET IOANNE.

17. Nou. **V**IR quispiam fortuna illustris, Ioannes nomine, abiectis rebus humanis, precario cœpit viuere, ipsaque re bonorum sibi conciliabat societatem, & precibus totas noctes traducebât. In atrijs porro Domini peruigilare illi solenne erat. Ergo nocte

Ete quadam venit ad templum Byzantij, q̄
à Dei sapientiâ, Sophiæ vocabatur, cuius
vbi fores clausas offendit, fessus in vicino
requieuit sedili, cantillans secum pro more
hymnum. Quod dum agit, videt ex lon-
ginquo splendorem luminis affulgentem,
notatq; oculis venerandum quendam virū
ductum lucis sequentem, ingentiq̄e per-
fusus ob hoc spectaculum gaudio, se magis
contractum abdit, cupidus videndi finem
rei. Vbi ergo ille, duce lumine, ad occlusas
templi valuas peruenit, in ipso prouolutus
vestibulo aliquamdiu precatur, sublatisq̄e
in cœlum manibus, crucis Christi signum
portis inprimit, extemploq̄e cum lumine
sine vllō impedimento ingreditur, rursus-
q̄e in pavementum sese pronum abijcit,
vbi expressa Dei matris imago supra immi-
nebat. Deinde cum surrexisset, & has ianu-
as aperuit, progressusq̄e in atrium ad ar-
genteas valuas sat diu, vt spectanti videba-
tur, in precatione perseueravit; iterumq̄e
videt ab illo per crucis formam hos quoq;
postes referari, eumque vndique circum-
fusus luce augustum templum intrare, at-
que in medio ferè sacrario, sublatis in altum
manibus comprecando sibi numen propi-
tiare. Votis dein persolutis rursus ad vlti-
mum templi atrium regreditur, foribus

retro cunctis cœlesti nutu clausis. Stetit ergo vir ille diuinus, vt dicebam, iterque explorabat, quo ille templo egressus tenderet. Vtque aduertit illum rectam ingredi, non cunctatus alter ille sanctus, vestigia prioris illius persequabatur, vti nosset, vbi sacer ille Dei thesaurus conderetur. Postquam verò à recto itinere paululum deflectere visus, qua ad gradus S. Iuliani Martyris descenditur, ad paruissimam casam confitit, vxoreq; , cui Mariæ nomen erat, modestè vocatâ, foribus manu pulsatis ingressus est. Tum demum fulgor ille luminis, qui in via virum vndique circumfulserat, subductus euauit, simulque in vtroque illo nox deprehensa. Fœmina subito aduolans accensa lucerna ingredienti occurrit. Vir autem neque lectum petiuit, neq; vllam corpori quietem indulsit, sed recta ad opus redijt: Suternam enim exercebat & cerdonem agebat. Tum iure celebrandus ille Iohannes, hunc secutus in domicilium liberè inuasit, humique prostratus laudatissimi illius vestigia lacrymis irrigauit. Et ne me, inquit, celaueris, qui sis tu, quòd ue tuum tam sublime vitæ erga Deum studium, quoranta miracula, quorum ego spectator fui, perpetrasti; Et ille, cum se inter postremos numeraret: ignosce, inquit, per Deum senex

nex, homo ego peccatis oblitus, nullius mihi præclari facinoris conscius sum: quis enim ego rudis & idiota sum? aut quid ego norim, vnde alios informem aut sanctimoniam doceam, necessario (victus parandi) opere distentus: errasti mi homo, errasti, inani phantasmatis imagine delusus, nulla vera specie illustratus. Tum senex lacrymas lacrymis affundit, testaturque Deum, se non cessurum, donec quid in vita optimè fecisset, exponeret, Nisi enim, inquit, nutu numinis fieret, uti tuam vitæ rationem discerem, nunquam ego postremissimus huiuscemodi spectator. . . mysteriorum admissus fuisset. Hic ille iurisiurandi religione adactus, de loco, vbi resederat surrexit, senique prius culpam confessus, cœpit in hæc verba proloqui. Ignosce mi frater, ego, per fidem, inquit, in terris nihil præclare gessi, nisi quod omnibus me peccatis involuerim, corporisq; voluptatibus indulserim. Dei verò mei clementia, serò tandè inferorum supplicia sempiterna reformidans, hanc, quam vides sororem, in vxorem duxi, cuius 2. virginitatem hæctenus inuiolatam, non inquinavi, sed ambo pari castimonia vitam traduximus, & apud notos huius infæcunditatem excusauimus.

Ad hunc vsque diem desiderio condito-

E 4.

ris

μυστηρίων
mendose
haud dubie,
lego
μυστηρίων.

20

ris ab omni usu tori abstinuimus. Ad do al-
 terum propter iurisiurandi religionem,
 qua me deuinxisti. Tota victus mei pos-
 sessio, per fidem, non amplius, quam in tri-
 mestre sufficit, quam manûs opere soleis
 parandis quæro, rursumque precium ex
 hoc partum, æquali sorte diuido; primam-
 que & præstantissimam Christo largior (in
 pauperibus) alteram ad usum vitæ necessa-
 rium confero. Et ita in singulos dies uiuo,
 animo que iudicem quotidie, & rationum
 exactores spiritus, qui viam ad cælum obsi-
 dent, propono. His dictis inter se submissa
 fronte, pronoque in terram vultu consa-
 lutantes diuulsi, alter incubiculum placi-
 de secessit suum; hic verò Ioannes inde di-
 gressus pro hac hospitalitate, in qua tanta
 tamque diuina vidisset, debitas Deo grates
 persoluit. Admiratione verò prosequen-
 dus ille cerdo, verè que contemptor omnis
 fastus, humanæ illicium gloriæ fugitans,
 domicilium mutauit, nullique deinceps
 mortalium cognitus est amplius.

*De his ex-
 actoribus
 infra fuse.*

ANNOTATIONES.

*Sigebertus
 & scripto-
 res Germa-
 nici, alijsq;*

GEMINA his facta quorundam per illustria me-
 minimus: Henricus Imperator Augustus He-
 zilonis filius, Cunegundem Augustam virginem 2.
 coniugem accepit, seruauit, moriturus cognatis
 qualem

qualem accepit, reddidit. Pulcheriam non memoro, quamquam primo loco ponendam. Hic de ijs agimus, qui coniugij specie tectam vel virginitatem, vel post susceptos aliquot liberos castimoniam coluere. De Andronico & Athanasia iam supra legisti. In S S. patrum historia de S. pafnutio refertur, cum ab angelo cum alijs, tum cuidam primario vici, ad quem proximus colebat Pafnutius, in virtutum ac præmiorum cœlestium statu comparatum. Vicanus enim ille solitus erat peregrinis hospitio susceptis pedum vestigia lauare, cenam apponere, omnia humanitatis officia & manentibus & abeuntibus exhibere: triginta annos post trigeminos ex coniuge procreatos liberos, continentiam ita coluit, vt coniugem non attingeret, aliaque æternâ commendatione dignissima gessit, quæ ibidem recensentur. Extat & illustre S. Ammonis Anachoretæ facinus, cuius diuinam animâ S. Antonius vidit ad cœlum deportari. Fuerat is generosis & copiosis parentibus oriundus, sed inuitus reclamansq; ad nuptias & coniugium per vim impulsus, cum sponsam celebratis solemnibus nuptiarum, intra conclaue solus recepisset, instituta virginitatis laudatione, facile persuasit virgini, vti secum vellet æternum pudoris illibati florem ignaris omnibus, custodire. Præfuit ergo post mortem parentum, Ammon viris religiosus in cœnobio. Virginibus virgo. Nec Eucharisti opilionis cum Maria coniuge, itidem virgine, virtus tacenda, qui quas pascebat oues à paterna hæreditate acceptas, in tres diuisit partes, vnamque egentibus largiebatur, alteram in vsum peregrinorum & hospitiu impendebat, tertiâ se coniugemque, quam virginem intemeratam seruauit, alebat: noctuque secubabant semper, & saccis cilicinis utebantur. Non

E P.

possum

*dist. 2. ex-
empl. 4.
Magni
spec. exēp.*

dist. 2. c. 15.

*Fusus hæc
in vitis pa-
trum.*

*dist. 2.
c. 124.*

possum dissimulare (quod partim apud D. Gregorium Turonensem, partim alios scriptores memini legere) nobile par coniugum ex nobilissima Romanorum senatorum stirpe genus ducentium Arcadij, Honorij, & B. Martini temporibus, celebratis nuptialibus sacris, de corporibus illibatis, mentibusque ab omni Veneris labe intactis conseruandis consilium inijsse, cum virgo quædam inter pompam procedentium, plaudentiumque tacita secum precaretur. *Fiat cor meum, & corpus meum immaculatum, & non confundar.* Ad vesperam, cum peractis conuiujs ad geniales thalamos deducti essent, clauso cubiculo virgo ad parietem versa cœpit flebilem in modum deplorare periculum amittendi pudoris. Rogat iuuenis quid sibi velit illa dolenda lamentatio? Thesaurum, inquit, virginitatis iam pridem cœlesti sponso deotum infælix ego nunc inuita perdam, fidemque Deo datam cogar violare? Atqui inquit iuuenis, & coniugium haud displicet Deo, ab eodem ipso in exordio condiri orbis institurum, ex quo mundus instauratur, virgines prodeunt, cœlum Diuis completur. Longè Deo gratior, inquit virgo, purissimo inquam Deo, puritas corporis & animi, quam colunt cœlestes spiritus, quam Christus sanxit in terris, cum ex virgine, præter naturæ vim, & facultatem voluit nasci. Concessit in sententiam virginis, nondum maritus, corporisque fluxam voluntatem eternitati virginitatis posthabuit. De comuni ergò sententiâ castimoniam animorum corporumque Deo consecrant, inuiolatamque reuerentur semper. Virgo ante virum, post certum annorum curriculum, è vita ad cœlum euocatur, tumulus comparatur, sacris piacularibus factis, in sepulchrum demittitur. Cum vir tumulo imminens;

gratias

Gratias, inquit, ago tibi Domine Deus, atque hunc thesaurum a te mihi commissum immaculatum & integrum restituo. Tunc illa de conditorio sepulchri, perinde quasi viueret, subridens, Sile file, inquit, vir Dei, cur ante tempus ea loqueris, quæ non interrogaris. stupent omnes rei nouitate attoniti. Nec multo post, & ipse coniux vita decedit, conditurque in eodem quidem templo, sed longo intervallo à sepulchro coniugis. Postridie tamen coniuncti vtriusque tumuli reperiuntur, vt quorum animas coniunxisset cœlum, corpora non separaret terra. Incolæ tantum miraculum contemplati, coniuges hos nominarunt *amantes*, quos hodieque summo honore prosequuntur. Præclara hæc sunt. Nec tamen his cedit virtus Elzearij comitis & Dalphinæ coniugis, quorum sanctissima vitæ instituta ex M S. Surius magna fide transcripsit. Ego ex ijs vnicum florem decerpam, qui ad rem præsentem facit. Decenni, iussu Caroli II. Hierosolymorum & Siciliae regis, Massiliae sponsa deligitur Dalphina virgo, duodecim annos nata, in paucis casta, nobilis & religiosa. Post triennium in castro Poderij Michaëlis, solenni ceremoniâ nuptiæ peraguntur. Quatriduo post, sponsa ad arcem Ausoisij, vbi Elzearius degebat adducta, sponsique nocturnum ingressa cubile, animum Elzeario tum tredecenni aperit, seque coactam ad coniugij societatem accessisse, pudoremque & thesaurum virginitatis impulsu Dei, Deo integrum statuisse custodire. Nec ab eâ animi sententiâ adhuc discedere. Elzearius nihil dum de corporis seruandâ puritate quamuis purissimus, deliberarat, virginem tamen sibi nuptam ea nocte non contigit, quam illa insomnem duxit, lacrymisque & precibus totam traduxit. Sequentibus inde noctibus cum inconclau-

ue

ue rursum concederent, virgo nobilissimum iuue-
 nem castis adorta sermonibus ita occupauit, vt &
 ipse paulatim animum religiosum indueret, virgi-
 nemque violare vereretur, nec vnquam contrecta-
 ret. Tandem, cum S. Agathæ festo, coniugij (sacra-
 mento se deuinxisset, die Virgini Dei matri in cœ-
 lum assumptæ sacro, post sumptam in templo diui-
 nam Eucharistiam, dum assidet prandio, cœlesti su-
 bito afflatus spiritu intima animi sensâ inusitato
 pertentari gaudio sensit, quod & in corpus redun-
 dauit, vnde cum æstu amoris diuini arderet, vultu
 rubore perfuso, quasi febrientem ad cubiculum
 deducunt. Vbi ille dimissis omnibus: humi pro-
 stratus, inflammatus amore diuino, cœpit omnia
 vitæ humanæ comoda fastidire, rerumque fluxa-
 rum inconstantiam & vilem conditionem perno-
 scere. Quare Deo plenus, decernit, nec tamen ad-
 huc valet, nullo se sceminae contractu corpus pol-
 luturum. Vixit ergo deinceps cum suâ sponsâ, in
 eadem domo, cubiculo, lecto, tam purè sancteq;,
 atque vllus in solitudine anachoreta, aut virgo cœ-
 nobij claustris circumsepta. Vsque aded extinctus
 erat in eo omnis sensus Veneris, vt quo propior es-
 set virgini; hoc se magis remorum ab omni cupi-
 ditate sentiret atq; diceret. Interim Christus qui-
 busdam sanctis, ostendit, quam grata sibi esset cō-
 iugum horum virginitas, Philippus enim Rhegius
 è S. Francisci familiâ, nobilitate iuxta ac virtuti-
 bus clarus, dum rebus diuinis dat operam, videt
 ad Elzearij & Dalphinæ, in altera spondâ, seu toro
 cubantium caput, Christum inter vtrumque stan-
 tem, placidoque vultu vtrumque aspicientem. Ex
 quo viso facile coniecit Philippus quanta, quam-
 que grata Deo vtriusque esset puritas. Eadem spe-
 cies Bertrandæ sanctissimæ matronæ obiecta, nisi
 quod

quod Christum inter vtrūmque, dum vna cubarent, medium sedentem conspexerit. Decennio fere exacto, cum vterque virtutem alterius probasset satis, ad vota demum edenda Virginitatis accessere, quæ præsentibus tantum Garlendâ nobili & castissima matronâ, eiusque filio Iuordo equite & Alasia Dalphinæ sorore, conceptis verbis, virginitatis æternum seruandę ediderunt, nemine alio cōscio, quod & ipsi testes clam habuere, quoad ipse sub vitæ, quam sanctissimè clausit, si nemi, impulsu nu minis, arcanum aperuit, cum apud circumstantes diceret. Seruatus est homo malus per mulierem bonam, quam sicut virginem accepi, ita etiam virginem relinquo. Obijt hoc mundi miraculum, cœlitum gaudium A. C. M. CCCXXIIII. V. Cal. Octobr. vixit annos XXVIII.

IOANNIS CVIVSDAM VISIO.

Constantini Imperatoris æuo, fuit vir ^{23. Nouē.} arte quadam sua clarus, & ipsi Imperatori familiaris. Hic vitam egit parum sanctam, futuraque inferorum supplicia nunquam secum animo pertractabat. Cui Dominus, qui omnia ad salutem & commodum suorum sapienter administrat, speciem quandam visionis, quæ ad eius valeret emendationem obiecit. Secundum quietem nocturnam visus est sibi videre virum quempiam, qui artis suæ specimen exhiberet Imperatori